



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

Estne communis vsus rerum iuris naturæ?

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

Rom. 13.

& iusticiam suam punit contumaces ipse sicut Paulus dicit: *Necesse est obedire propter conscientiam.* Hæc vox manifestè affirmat, peccatum mortale esse, contumaciter violare leges magistratum, & magis munit imperia, & sancit obedientiam, quàm vlla potentia humana, & vlla arma.

*Estne communis usus rerum
iuris naturæ?*

Responsio vera & expedita hæc est: Discrimina quædam sunt eorum, quæ dicuntur esse iuris naturæ. Alia sunt, noticiæ nobis insitæ, quæ sunt præcepta, quæ regunt voluntatem erga Deum & erga homines, vt: *Agnoscito esse Deum, & ei obedias. Neminem lædas non affectus iniuria. Diligito & seruato sobolem, Esto verax, temperans, castus, defensor legitimæ societatis ciuium.*

Alia quædam, quæ dicuntur esse iuris naturæ, non sunt noticiæ seu præcepta, sed accidentia, hoc est, bona vtilia, quæ conueniunt illi statui melioris naturæ, & non conueniunt illi statui corruptæ naturæ, vt pax, non habere loca munita. Item communis usus rerum. Hæc suo genere sunt in differentia, quæ ita retineri possunt, si natura esset sine prauis cupiditatibus, sed in hac malicia hominum retinere non possunt: Vt nunc opus est munitis locis contra latrocinia, Ita opus est di-

strictis

functione dominiorum, propterea quod causse
querendi & tuendi res non sunt pares.

Et si igitur noticia illæ & præcepta præse-
rim superiora, sunt leges immutabiles, vt supra
dictū est, tamen accidentia, quæ sunt bona vtilia
mutantur, quia aliqua accidit in natura mutatio,
vt pax, vsus communis rerum, mutata sunt, quia
accesserunt viciosæ cupiditates, propter quas
necesse est, quæri alia remedia seruandi regulas
superiores, videlicet, vt seruetur iusta societas
hominū. Ex hoc fonte facilis dijudicatio est, quæ
naturalia sint immutabilia, videlicet: noticia,
quæ sunt præcepta & radij diuini lucis in nobis,
quos Deus etiam in hac corrupta natura lucere
voluit. Accidentia verò, quæ sunt bona vtilia,
vt pax, & communis vsus rerum, mutata sunt,
quia pars naturæ mutata est, & voluntas in
viciosa frenanda est, vt superiores regulæ seruetur.

Discrimen inter summum ius, &

ἐπιείκεια.

Summum ius propriè loquendo, non significat
calumniosam interpretationem iuris, qualis fuit:
cum pactus triginta dierum inducias, nocte popu-
labatur hostium agros, aut cum legatus Romanus
pactus cum Antiocho, vt dimidia pars nauum
erelinqueretur, secuit naues, vt classe vniuersa
eum priuaret, Talia Sophismata non sunt sum-
mum ius, sed calumnie.

H 4

Est